& qua ego eum diligetem, qua ratione inquit Chriſtus Ioa. 14. *ſi quis diligit me, diligetur à Patre meo*, & ita eadem gratia ſecundum diverſos reſpectus eſt forma, ob quam à Deo diligimur, & grati efficimur; & etiam qua, ut principio, diligimus Deum; quatenus reſpicit ſubjectum, cui eſſe ſupernaturale tribuit, quo mediante eſt gratum Deo, dicitur gratia; quatenus verò reddit ſubjectum potens diligere Deum; ac meritoriè operari, dicitur charitas, itaut relatione ad ſubjectum dicitur gratia, relatione verò ad actum dicitur virtus; & charitas.

182 Ad Confirmationem negatur aſſumptum; ad probationem dico, quod licet charitas cum cæteris virtutibus in eo conveniat, quod omnes formaliter dicunt ordinem ad operationem, ut ſic; adhuc tamen differunt per ordinem ad diverſas operationes in particulari ſpecie diſtinctas; at cum gratia dicit ordinem ad eandem operationem, cùm gratia non ſit forma pœnitus otioſa in anima; & magis utique diſtinguuntur virtutes illæ in ordine ad plures operationes ſpecie diverſas, quàm ipſamet charitas per relationem ad ſuum actum, à qua talem ſumit denominationem, & per relationem ad ſubjectum, à qua ſumit denominationem gratiæ, quatenus illud reddit gratum, quia duæ iſtæ relationes nempè ad ſubjectum, quod informat, & ad actum, quem exercet, utique uni, & eidem formæ numero convenire poſſunt; non tamen illæ ad diverſas operationes ſpecie diſtinctas; Negatur etiam magis congruum eſſe conſuetæ rerum ordinationi has duas qualitates diſtinguere ob rationes adductas; Et quicquid ſit, an ſit poſſibilis qualitas, quæ non ſolum ſit charitas, ſed exerceat etiam aliarum virtutum actus; certum tamen eſt de facto fidem, ſpem, & charitatem eſſe tres virtutes ſpecie diverſas, quod non eſt ita certum de gratia, & charitate; cum Scripturæ, Concilia, & Patres de illis loquantur, ut virtutibus indiſtinctis: ut conſtat ex dictis. Ad ultimum, aſſumptum non eſt univerſaliter verum, ut conſtat ex modo dictis, ac etiam antea *num.* 167. ad probationem negatur paritas, quod non ſint effectus minus inter ſe diſtincti, eſſe dilectos à Deo, & eſſe Deum diligentes, quam eſſe diligentes, ſperantes, & credentes; quia hi ſunt actus ſpecie diſtincti, qui proindè petunt à diverſis virtutibus proficiſci; non ſic eſſe Deum diligentes, & eſſe ab eo dilectos, & ſpeciali quadam acceptatione acceptos; hi namque effectus ab eadem forma phyſica præſtari poſſunt, ut oſtenſum eſt, præſertim quia unus eſt effectus ab ea phyſicè proveniens, ſcilicet, eſſe dilectivum, vel diligentem Deum, qua ratione dicitur charitas; alter verò moraliter, qua ratione dicitur gratia: illi verò ſunt effectus phyſici ſpecie inter ſe diſtincti; Quare neque urget, quod ait Amicus *num.* 72. quod gratiæ effectus formalis eſt facere filium adoptivum Dei, & objectum diligibile ejuſdem Dei; charitatis autem eſt facere dilectorem Dei, qui videntur eſſe effectus ſpecie diverſi. Etenim diverſi non ſunt in genere phyſico, qua primus eſt effectus merè moralis, & ſecundus tantùm phyſicus & ille ex divina ordinatione connexionem habet cum iſto; nam Deus diligit, & acceptat in filios, & amicos ſe diligentes, vel dilectores ſui juxtà illud, *ſi quis diligit me, diligetur à Patre meo*; quare hi duo effectus benè poſſunt ab eadem forma preſtari in ordine ad diverſa modo jam explicato, unus quidem phyſicè, alter verò moraliter tantùm, & ex divina ordinatione juxta dicta *num.* 167.

184 Octavò arguit Ouviedus habitus charitatis tantùm habet ex ſuis prædicatis conſtituere hominem dilectorem Dei, ſeu potentem Deum diligere: ſed hoc formaliter non eſt hominem eſſe ſanctum: ergo habitus charitatis ex ſe præcisè non conſtituit hominem ſanctum: major patet, quia nulla eſt ratio, quæ aliud prædicatum in habitu charitatis demonſtret: minor probatur, eſſe hominem ſanctum eſt eſſe objectum dignum amore Dei: ſed eſſe dignum amore, & eſſe potentem amare eſt quid realiter diſtinctum: ergo habere habitum charitatis, & eſſe ſanctum realiter diſtinguuntur. Minor probatur; non enim ex eo quodquis Regem amaret, dignus exiſtit redamatione amicitiæ, imò neque præcisè ex eo, quod illum amet; etſi enim amor ex ſe ad amorem mutuum, ſeu ad redamationem excitet, tamen ut hanc mereatur, debet ſupponi dignitas ex parte ſubjecti, ut talis amor redamationis viciſſitudine ſolui debeat. Patet hoc in exemplo hominis vilis, qui quamvis ardenter Regem amet, non tamen dignus exiſtit amicitia Regis; ergo præter amorem debet ſupponi dignitas ex parte ſubjecti, ut ad amantem poſſit amicitiæ redamatio terminari; Hæc autem dignitas in juſtis tribuitur à gratia, per quam conſtituitur homo dignus amore Dei: & talis amor ad illum terminatus eſt amor amicitiæ, qualis non eſt actus quo Deus peccatori vult bonum, quia illud non vult, tanquam ſubjecto digno, ac proinde licet talis actus ſit amor erga peccatorem, non tamen eſt amor amicitiæ: ſicut amor, quo Rex amat hominem plebeum, cui bona impertitur ejus ſtatui congrua, non eſt amor amicitiæ, non enim ob id Rex dicitur amicus plebei hominis, quia amicitia dicit æqualitatem inter amicos; & quia nullus habere poteſt æqualitatem cum Deo, Deus facit hominem ſuam naturam participare per gratiam, ut hac ratione factus divinæ naturæ particeps verè ſit Dei amicus, & dignus tali amicitia.

184 Reſpond. conceſſa majori, diſtinguendo minorem, hoc quod eſt hominem eſſe Dei dilectorem, ſeu eſſe in amorem Dei propenſum ex habitu charitatis, non eſt hominem eſſe ſanctum ex natura rei, & phyſicè, concedo: moraliter & ex ordinatione divina, nego: & ſic etiam diſtinguendum eſt conſequens; ad probationem minoris, conceſſa rurſus majori, eodem modo diſtinguo minorem: eſſe dignum amore alicujus, & eſſe in ejus amorem propenſum eſt quid realiter diſtinctum phyſicè, & ex natura rei, concedo; moraliter, & ex divina ordinatione nego, ſic enim vel ſunt idem realiter, vel ſaltem neceſſariò connexa juxta illud *qui diligit me, diligetur à Patre meo*; ad probationem minoris ſecundi ſillogiſmi dico, per illud probari ſolùm habitum charitatis ex ſua phyſica entitate nullam habere exigentiam connaturalem, ſaltem proximam, ob quam Deus debeat hominem tali habitu decoratum amare amore amicitię, neque habere ex natura rei, ut hominem conſtituat dignum tali amore, imò hac eadem ratione idipſum probavimus ſuprà *quæſt.* 1. *nu.* 11. & 12. non tamen probat, quod ipſum nequeat conſtituere dignum tali amore moraliter, & ex ordinatione divina: quatenus Deus decrevit diligere diligentes ſe: & alioquin ex natura rei magis congruum eſt cæteris paribus, ut Deus in amicum, & carum eligat, quem videt in amorem ejus propenſum, & inclinatum, quam quemvis alium; quæ eſt ratio a nobis ſuperius allata *quæſt.* 1. *num.* 16. cur Deus hanc formam potius, & habitum ſupernaturalem deputaverit ad hos effectus ſupernaturales præſtandos, quam aliam qualitatem: cæteris enim paribus magis dignus eſt amore meo, qui me amat, & eſt in meum propenſius amorem, quam quilibet alter: & eo ipſo, quod in eo talem propenſionem video, & alacritatem ad me amandum, congruum eſt ut declaretur dignus amore meo, ac mea amicitia; & hæc eſt dignitas, quæ in juſtis tribuitur à gratia, & per quam conſtituitur homo dignus amore Dei. Ad exemplum allatum pariter dico probare ſolùm, habitum charitatis non habere de ſe virtutem conſtituendi hominem dignum amore Dei, ejuſque amicitia: poteſt tamen habere hanc virtutem ex divino beneplacito, ob aſſignatam congruitatem: qua ratione poteſt etiam Rex hominem plebeum, quem videt in ſui amorem inclinatum, & valdè propenſum, declarare ſuo amore dignum, & amicitia, abſque eo quod illum præcedenter elevet ad talem dignitatem per aliquem gradum nobilitatis ei collatum: Ità ergo res ſe habet in propoſito, quod nulla alia dignitas prærequiritur in homine, ut valeat aſſumi ad amicitiam Dei, quam ipſemet charitatis habitus, qui hominem facit dilectorem, & diligentem Deum.

185 Poſtremò arguunt Thomiſtæ hanc realem diſtinctionem charitatis, & gratiæ ex reali diſtinctione ſubjectorum, quia gratia eſt in eſſentia animæ immediatè, charitas verò in voluntate; & ratio eſt, quia cum gratia ſit habitus non operativus, ſed ſolùm conſtitutivus hominis in eſſe ſupernaturali, & divino, meritò immediatè ſubjectatur in tota animæ eſſentia; non verò charitas, quia eſt habitus operativus; cùm igitur animæ eſſentia realiter à ſuis diſtinguatur potentiis; ſequitur gratiam, & charitatem poni debere habitus realiter diſtinctos, quia accidentia ſubjectivè diſtincta, ſunt quoque inter ſe realiter diſtincta, quia nequit idem accidens eſſe connaturaliter in pluribus ſubjectis realiter diſtinctis.

Reſpondeo in argumento plura falſa ſupponi; primò namque falsò ſupponitur ſubſtantiam animę à ſuis potentiis realiter diſtingui, oppoſitum namque Doctor demonſtrat 2. *diſt.* 16. & nos in libris de Anima; Deindè falsò ſupponitur habitum gratiæ nobiliſſimum eſſe pœnitus otioſum, & non actiuum, & operatiuum, etenim eſt operatiuus amoris Dei ſuper omnia, quæ eſt perfectiſſima hominis operatio, & eſt imperatiuus actuum omnium aliarum virtutum ultimatè in Deum: ſicut enim hæc munera charitati tribuuntur 1. Corinth. 13. *Charitas patiens eſt benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, &c.* Ita pariter tribuuntur gratiæ 1. Petri *c.* 2. *Hæc eſt gratia Dei, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtineat quis reſtituas, patiens iniurias* & *c.* 4. *uniuſquiſq; ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*, & Hæb. *c.* 12. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo cum metu & reverentia*, ex quibus & aliis pluribus ſimilibus Scripturæ locis, clarè deducitur gratiã eſſe formaliter, & immediatè operativam, ſicut eſt charitas, quia unam indiviſibilem præferunt formam abſolutam de genere qualitatis. Denique falsò ſupponitur gratiam eſſe ſubiectivè in animæ eſſentia immediatè, ſic enim eſt in ſola voluntate principio principali humani actus ex Scoto 2. *diſt.* 26. & 3. *diſt.* 33. *ſub G.* quia tamen aſſerimus eſſe idem ſecundum rem eſſentiã, & potentiam, conſequẽter dicere debemus hanc qualitatem in eſſe quoque animæ, non quidem quatenus habet rationem eſſentiæ indeterminatæ

ſecundum virtutem activam ad plura, ſed quatenus habet rationem potentiæ determinatæ, nimirum quatenus voluntas, ut docet Scotus 2. *diſt.* 26. in corpore quæſtionis; ſi enim eſt eadem qualitas gratia cum charitate erit ſuaptè natura habitus operativus; & licet det eſſe formaliter ſubjecto, & ſubſtantiæ, cui ineſt, illud tamen eſſe tribuit media potentia, & facultate, cui proximè ineſt, ut eam aptam reddat; & planè effectus charitatis, quatenus facit hominem gratum, rectè poteſt intelligi derivari in eſſentia media potentia, ſicut è contrà media potentia, cui proximè ineſt peccatum, maculatur, redditur injuſta, & inimica Deo, ut docet Doctor ibidem 2. *diſt.* 26. in ſolutione ad quartum. Quæ autem hic fusè diximus de diſtinctione charitatis, & gratiæ vide Laconicè reſtricta à Reverendiſſ. P. Mag. Fælice Gabriellio *tract.* de Fide, Spe, & Charitate *diſp.* 7. *qu.* 10. nuper edito.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An proxima, & ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem ab eadem effectivè procedat.

187 Duplex eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem, alia proxima, alia remota; proximæ diſpoſitiones dicuntur actus illi, quibus in eodem temporis inſtanti annexa eſt gratia, ſeu infuſio ipſius; remotæ verò dicuntur actus, qui eam tempore præcedunt: non eſt hic quæſtio de remotis diſpoſitionibus, cum enim exiſtentiam gratiæ tempore præcedant, certum eſt ab illa effectivè procedere non poſſe; quia omnis cauſa debet effectui coexiſtere, cùm à cauſa non exiſtente procedere nequeat; adeout tota difficultas reducatur ad actum dilectionis, & contritionis perfectæ; reliqui enim actus, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam habitualem, veluti actus fidei, & ſpei ſæpè tempore juſtificationem præcedunt; Qua de cauſa ſecundùm præſentem Dei providentiam ſola dilectio Dei ſuper omnia, & perfecta contritio ſtatuta eſt ultima diſpoſitio, quam infallibiliter conſequitur infuſio gratiæ, & juſtificatio, ut definitum eſt à Gregorio XIII. & Pio Quinto, contra Michaelem Bajum; Certum eſt autem hanc ultimam diſpoſitionem procedere efficienter ab auxilio ſpeciali ſupernaturali, quia de fide eſt contra Pelagianos omnem hujuſmodi diſpoſitionem ad gratiam, & juſtificationem ex auxilio ſpeciali gratiæ actualis provenire; quare ſolùm eſt quæſtio in præſenti, an etiam efficienter procedat à gratia habituali.

188 In hac controverſia duæ ſunt oppoſitæ opiniones; Prima eſt affirmativa, & valdè communis inter Thomiſtas, quæ aſſerit actum charitatis, qui eſt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, procedere ab habitu charitatis, & conſequenter à gratia immediatè, ſi hæc ab habitu charitatis non diſtinguitur; & mediate, ſi ſunt duo habitus inter ſe diſtincti, ita tenent Cajet. Contadus, Medina, Scotus, Cano, Valentia, Vaſquez, Martinez, Torres, Serra, & alii Thomiſtæ paſſim auctoritate nixi S. Thomæ *q.* 113. *art.* 8. aſſerentis infuſionem gratiæ eſſe primam in juſtificatione, & poſt illam ſequi motum liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ex quo ſequi videtur ex mente ipſius S. Th. charitatem, & contritionem efficienter à gratia habituali procedere. Oppoſita ſententia negat hujuſmodi actus, qui ſunt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, procedere efficienter ab ipſa, vel aliquo habitu ipſius, ſed ſolum ab auxilio ſpeciali cum libero arbitrio, quæ eſt communis extrà Scholam D. Th. hanc tradiderunt claſſici Doctores antiquiores, Alenſis, D. Bonaventura, Scotus, Riccardus, Gabriel, Durandus, Ægidius, & ſequuntur Recentiores paſſim Suarez, Molina, Bellarmin. Coninch. Granad. Tannerus, Arrubal, Monteſinus, Lorca, Caſpenſis, Curiel, Averſa, Beccanus, imò & pleriquè Thomiſtæ Jo. à S. Thoma, Hacquetus, & alii doctrinæ S. Thomæ addictiſſimi, ut notant Lezana *tract.* 7. *qu.* 11. Ovvied. *tract.* 8. *contr.* 2. *punct.* 8. & Lugo de pœnitentia *diſp.* 8. *ſect.* 7.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sententia negativa præfertur.

189 Hanc ſecundam ſententiam negativam ex inſtituto docuit Scotus 4. *diſt.* 14. *qu.* 2. ut eo loco notat Faber *diſp.* 17. *de pœnit. c.* 1. & Hiribarnes *diſp.* 6. *ſect.* 9. inquit enim ibi actum contritionis, quam appellat attritionem perfectè circumſtantionatam in genere moris, poſſe dupliciter ſpectari; primò quatenus eſt prævia diſpoſitio ad infuſionem gratiæ, & ſic effectivè procedit ab auxilio gratiæ actualis; ſecundò quatenus ſimul perſeverat cum gratia jam infuſa, & ſic dicitur formari per gratiam & dicitur actus formatus, quia habet ſecum charitatem quæ eſt forma actus, ut hic loquimur; quem actum ſic formatum ſimpliciter, & abſolutè contritionem vocat, quatenus ſic formata tantùm dici poteſt habere vim expellendi peccatum, non tantum diſpoſitivè, ſed etiam formaliter, ratione gratiæ annexæ; undè ſub *lit. O.* in eodem juſtificationis inſtanti diſtinguit tria ſigna naturæ; in primo ſigno naturæ eſt ibi actus talis, hoc eſt, actus contritionis perfectus in genere moris, qui eſt contritio informis, ut explicat Faber; in ſecundo ſigno naturæ infunditur gratia habitualis, in quo gratia concomitatur contritionem ipſam in genere moris, & ipſam format, & peccatum expellit; in tertio ſigno naturæ ipſa contritio eſt formata, & ſequitur expulſionem peccati; jam igitur conſtat in Scoti ſententia, contritionem præcedere infuſionem gratiæ, ut diſpoſitionem ad eam; licet enim hæc tria, ſcilicet, ultima hominis diſpoſitio, quæ eſt contritio, & dilectio Dei ſuper omnia; infuſio gratiæ; & expulſio culpæ ſimul fiant in homine, & non unum poſt alterum ſpectato temporis ordine; ſpectato tamen ordine naturæ, & cauſalitatis, ordinatè procedunt per illa tria ſigna à Scoto aſſignata; ità rem quoque explicant Hiribarnes ibidem, & alii Scotiſtæ in eundem locum.

Undè valdè miror Aretinum ex eodem hoc loco oppoſitum colligere, & dicere Scoti opinionem in hoc puncto ab opinione Thomiſtarum non differre; quod ità ex Scoto deducere *diſt.* 14. *cit. qu.* 1. *art.* 8. quia inquit Doctor, quod poſt aliquam temporis moram à Deo præfixam, in qua homo continuavit dolorem peccatorum, in ultimo inſtanti illius temporis eſt actus pœnitentiæ, & ſimul tempore eſt charitas; ſed in iſto temporis inſtanti ſunt tria ſigna naturæ; in primo eſt actus pœnitentiæ; in ſecundo infunditur charitas; in tertio actus pœnitentiæ efficitur contritio, virtute cujus remittuntur peccata, quia dolor ſine charitate non eſt contritio, ſed attritio tantum, hoc eſt dolor imperfectus; ecce quomodo de mente Scoti (inquit Auctor ille) hæ duæ propoſitiones ſunt veræ, quia peccator continuavit dolorem uſq; ad inſtans determinatum à Deo, ideò infunditur gratia à Deo; & quia infunditur gratia, ideò actus ille pœnitentiæ eſt contritio; primam inquit eſſe veram in genere cauſæ materialis, & ſenſus eſt, quia homo diſponit ſe per actum pęnitentiæ, ideò aſſecutus eſt gratiam; aliam verò ait eſſe veram in genere cauſæ formalis, & ſenſus eſt, ſi non eſſet infuſa gratia, homo non haberet contritionem, vel potius actus ille non eſſet contritio, undè totam hanc quæſtionem reſolvit per doctrinam Thomiſticam de mutua cauſalitate cauſarum adinvicem, de qua poſtea. 190

191 Cæterum circa hujus locis intelligentiam valdè hallucinatur hic Auctor; quamvis enim Scotus loquendo de contritione in termino, quo ſenſu intelligitur formata jam gratia, eam abſolutè vocet contritionem, ac velut antonomaſticè ob rationem allatam, quatenus ſic formata tantum dici poteſt habere vim expellendi peccatum; non tantum diſpoſitivè, ſed etiã formaliter ratione gratiæ annexæ; tamen loquendo de eodem contritionis actu in fieri, quatenus eſt diſpoſitio ad gratiam, & adhuc intelligitur informis, negari nequit, quin adhuc ſit propriè contritio; prout hæc ab attritione diſtinguitur: ut enim notat Faber *diſp.* 16. *cit. cap.* 2. *in fine*, non eſt de ratione contritionis, ut ſic, quod ſit actus ſemper formatus gratia; nam Scotus quoque admittit contritionem veram, & perfectam, prout ab attritione diſtinguitur, quæ adhuc ſit informis, quam appellat attritionem perfectè circumſtantionatam in genere moris; Quamvis enim inter attritionem, & contritionem variæ ſolent aſſignari differentiæ, præcipua tamen, & principalis eſt ea, prout ex Trident. colligitur *ſeſſ.* 14. *c.* 4. quæ ſumitur ex objecto, fine, vel motivo: quatenus contritio eſt dolor de peccatis, vel peccati deteſtatio propter Deum, ejuſque dilectionem: quatenus peccatum eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti: attritio verò eſt dolor peccatorum, vel deteſtatio peccati, quæ proximè, & immediatè non habet pro fine dilectionem Dei, ſed timorem pęnarum, vel turpitudinem peccati, vel aliud ſimile, ut fusè docet Faber *diſp. cit. c.* 3. Navar. in Manuali *c.* 1. *n.* 36. & 41. & Scotus ipſe innuit *loc. cit.* ſed ſic eſt quod poteſt dari actus peccati deteſtativus ex primo motivo, nempè ob Dei amorem, etiam antequam intelligatur gratia formatus; ergo dari poteſt contritio propriè dicta, ut ab attritione diſtinguitur, etiam antequam intelligatur formata gratia, vel charitate infuſa, ut benè diſcurrit Faber *loc. cit.* de mente Doctoris. Quod totum clarè colligitur ex ipſo Scoto *diſt.* 14. *cit. qu.* 2. *art.* 2. *Q.* cum inquit; Et cum arguitur, contritio, ut contritio ſequitur deletionem peccati. Reſpondeo, actus qui eſt contritio, in eodem inſtanti temporis præcedit natura deletionem, licet ut contritio, hoc eſt, ut formatus, ſequatur deletionem ordine naturæ: & ſic debet concedi in ſenſu diviſionis, quod per actum, qui eſt contritio, deletur peccatum, ut per diſpoſitionem omninò proximam: nec eſt inconveniens, imò conveniens, diſpoſitionem proximã ſimul eſſe cum forma, ad quam diſponit; ità Doctor: quibus verbis clariſſimè patet actum illum, etiam prout informem, vocari à Doctore contritionem, etiam prout natura intelligitur præcedere gratiæ infuſionem; ut ejus proximam diſpoſitionem; falſum igitur eſt deteſtationem peccati, ut offenſivum Dei, ſine charitate non eſſe contritionem, ſed attritionem tantum, & dolorem imperfectum; doctrina verò

illa Thomiſtica de verificatione illarum propoſitionum in diverſo genere cauſæ jam ſuperius exploſa eſt in ſimili *num.* 137. & rurſus reiicitur paulo infrà.

Prima probatio ex Scriptura Patribus, & Conciliis.

192 Primò itaque probatur hæc ſententia auctoritate ſacræ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum homines frequenter hortantium ad veram pœnitentiam, & converſionem, ut per eam conſequantur veniam peccatorum, ut Ezech. 33. *Si impius egerit pœnitentiam iniquitatum ejus, non recordabor amplius*, & Lucæ 7: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: quod etiam perſpicuè Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. confirmat, dùm ait contritionem fuiſſe quocunque tempore neceſſariam ad impetrandam peccatorum veniam, & dicit ipſam præparare ad remiſſionem peccatorum, quod etiam anteà docuerit *ſeſſ.* 6. *c.* 7. cùm poſt deſcriptam diſpoſitionem ad juſtificationem neceſſariam inquit, *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt, ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio* per remiſſionem autem peccatorum, & ſanctificationem utique intelligitur gratia juſtificans formaliter peccata remittens; non ergo gratia juſtificans præcedit converſionem, & pœnitentiam; ſed è contrà hæc eam præcedit, veluti proxima diſpoſitio ad eam introducendam.

193 Reſpondet Vaſquez *diſp.* 211. *c.* 5. Concilium non loqui de diſpoſitione ultima de qua tantùm eſt præſens controverſia, ſed de diſpoſitione nòn ultima, quæ tempore præcedit ipſam juſtificationem: de perfecta autem contritione, aut de dilectione perfecta nunquam dixit eſſe diſpoſitionem, aut quod eam conſequatur juſtificatio, aut quod ipſa juſtificationem impetret. Verùm Concilium locis citatis de diſpoſitione quoque proxima eſſe locutum perſpicuè oſtendit Averſa *qu.* 112. *ſect.* 6. etenim *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. docet juſtificationem homini contingere aut per baptiſmum, aut per ejus votum: diſpoſitio autem, quæ cum ſolo voto baptiſmi ſufficit ad juſtificationem, utique eſt diſpoſitio ultima, & proxima: & infrà docet *c.* 7. juſtitiam noſtram eſſe inæqualem juxtà inæqualitatem diſpoſitionis, quod planè verificari nequit, niſi diſpoſitione de ultima. Deinde *can.* 3. inquit hominem non poſſe abſque præveniente Spiritus ſancti auxilio credere, ſperare, diligere, aut penitere, ut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, & *can.* 4. definit liberum arbitrium à Deo ſpecialiter motum, & excitatum cooperari Deo, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: ubi cùm univerſim loquatur de actibus quibus homo ad juſtificationem ſe præparat etiam de illis dici debet eſſe locutum, qui ſint ultima, & proxima ad gratiam diſpoſitio; & cùm expreſsè dicat hanc diſpoſitionem eſſe utique ex gratia præveniente, & adjuvante ad conſequendam gratiam juſtificantem, apertè infertur de mente Concilii habitum gratiæ habitualis non prærequiri ad hujuſmodi actus, ſed tantùm auxilium gratiæ actualis. Et tandem, cùm Concilium gratiam prævenientem, & adiuvantem à gratia juſtificante ſecernat, dicatque hominis præparationem à gratia præveniente, & adiuvante procedere ad ipſam juſtificantem conſequendam; planè ſignificavit ipſam diſpoſitionem etiam ultimam ab eadem gratia juſtificante non provenire, ſed tantùm à gratia præveniente, & adiuvante.

194 Addit deindè Vaſquez contritionem eſſe utique diſpoſitionem ultimam ad gratiam, non quidem ex parte efficientis ad infundendam gratiam habitualem, ſed tantùm ex parte paſſi ad eam recipiendam, quod minimè obſtat, ne oriatur à gratia habituali, tanquam à cauſa efficienti; undè in hoc ſenſu verum erit dicere, infuſionem gratiæ eſſe priorem actu contritionis, receptionem verò ejuſdem gratiæ eſſe poſteriorem eodem actu quæ quidem ſolutio eſt valdè communis, & plauſibilis inter Thomiſtas. Cæterum hæc evaſio ex eodem Concilio præcluditur, dùm expreſſis verbis ſignificat diſpoſitionem noſtram ordinari, non tantùm ad hoc, ut homo gratiam recipiat, ſed etiam ad hoc, ut Deus juſtificantem gratiam infundat; hoc enim apertè ſignificat, dùm inquit contritionem eſſe neceſſariam ad impetrandam peccatorum veniam, quod utique fit per gratiæ infuſionem; hoc enim non tantùm ſignificat, quod animam diſponat ad recipiendam gratiam, ſed etiam quod Deum moveat per modum cauſæ moralis ad infundendam, vel efficiendam gratiam in anima; ergo non erit tantùm diſpoſitio ex parte paſſi ad recipiendum, ſed etiam ex parte efficientis ad infundendum; atque ita non tantùm gratiæ receptio, ſed etiam ejus infuſio, ſi quomodo eſt ab ea diſtincta; erit hominis diſpoſitione poſterior; dixit, ſi aliquo modo eſt ab diſtincta; nam ut verùm fatear, à parte rei infundere Dei activum præter eſſe divinæ volitionis nil aliud eſt, quam infundi paſſivum, ſeu eſſe gratiæ in fieri à Deo dependens, tùm quia eo ipſo, quod gratia ſupponitur infuſa, ſupponitur infuſa in aliquo ſubjecto, & in eo recepta, undè quod eſt diſpoſitio ad unum, eſt etiam diſpoſitio ad aliud. Qua ratione non immeritò dixit *diſp.* 17. *cit. n.* 25. quod eſtò contritio ſit diſpoſitio, mediante qua paſſivè ſubjectum, ſcilicet, anima diſponitur ad recipiendum gratiam habitualem; tamen magis propriè dicitur diſpoſitio ad producendum activè gratiam, eo modo quo meritum eſt diſpoſitio ad conſequendam gloriam, quæ tamen à ſolo Deo producitur, & in homine recipitur; & eo modo, quo Sacramenta in noſtra ſententia dicuntur cauſæ morales gratiæ.

195 Confirmatur ex modo loquendi ipſius Concilii, cum enim ſimpliciter, & abſolutè dicat, quod juſtificatio conſequitur hominis diſpoſitionem; prorſus intellexit ſimpliciter conſequi, & in quocunque genere tam cauſæ materialis, quàm efficientis, & tam ex parte efficientis, quàm ex parte paſſi, itaut è converſo dici non valeat, quod diſpoſitio ipſa conſequatur juſtificationem; conſequentia probatur, quia ſi contritio, & gratia habitualis ſunt ſibi mutuò, & invicem priores, & cauſæ eſto in diverſo genere, ut ajunt Thomiſtæ; ſicut Tridentinum dixit, quòd hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur; ſic è contrariò dici licebit, quod juſtificationem diſpoſitio, ſeu præparatio ipſa conſequitur; ſicut enim primum eſt verum in genere cauſæ materialis; ità ſecundum eſt verum in genere cauſæ efficientis; imò hac ratione verior eſſet hæc ſecunda propoſitio, quàm prior à Concil. poſita; cum enim genus cauſæ efficientis nobilius ſit genere cauſæ materialis; ſimpliciter, & abſolutè loquendo potius dicendum eſſet, quod contritio, quæ eſt diſpoſitio, & præparatio conſequitur juſtificationem, quàm è contrà, quia nimirum illa pendet ab infuſione gratiæ in genere efficientis cauſæ, ut dicunt Thomiſtæ.

Secunda probatio ex ratione Theologica.

196 Secundò probatur ratione in eiſdem Scripturis, Patribus, & Conciliis fundata, quam Vaſquez ipſe ſibi obiicit, nec rectè diſſolvit; nam ut proximè dicebamus, actus contritionis habet rationem aliquam meriti ſaltem de congruo, vel ſaltem rationem impetrationis reſpectu gratiæ juſtificantis, ut expreſsè docuit Concilium *ſeſſ.* 14. *ſect.* 4. Itaut dicere valeat, Deum conferre gratiam intuitu ipſius contritionis, hoc eſt, quia homo eſt contritus; ergo non poteſt ipſemet actus effectivè ab eadem gratia habituali dependere; Conſequentia probatur, quia ſi contritio eliceretur ab habitu gratiæ, potius è contrà dici deberet, homini infunditur gratia habitualis, ut conteratur, quàm quia contritus, ſed dicere gratiam habitualem homini infundi, ut conteratur, eſt contrà communem modum loquendi ſacræ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum ſolùm hanc cauſalem admittentium, *gratia datur homini, quia eſt contritus*; per quod excluditur communis Thomiſtarum reſponſio, utrumque poſſe dici in diverſo genere cauſæ; quatenus enim contritio eſt prior in genere cauſæ materialis infuſione gratiæ, dici poſſe, homini gratiam infundi, quia eſt contritus; quatenus verò eſt poſterior in genere cauſæ efficientis, dici poſſe, gratiam homini infundi, ut conteratur; falſa, inquam, eſt hæc reſponſio, quia prior tantùm cauſalis admittitur à Scriptura, Patribus, & Conciliis; poſterior verò eſt pœnitus inaudita in Eccleſia, & Scholis.

19 Reſpondet Vaſquez *loc. cit.* gratiam habitualem diſtribui ſingulis, non quia contriti ſunt, ſed ut conterantur, undè apertè negat illam cauſalem, quia homo contritus eſt, ideò illi Deus gratiam infundit, ut poſſit aliam ſuſtinere, Deus infundit peccatori habitum gratiæ, ut conteratur. Hæc ſolutio latè reiicitur à Suarez, Averſa, Ovvied. & aliis, quoniam iſta cauſalis, *Deus dat homini gratiam, quia contritus eſt*, re vera admittitur à Scripturis, Patribus, & Conciliis, & paſſim à Theologis in omni Schola, quarè inquit Suarez nullum Theologum inveniſſe, qui hanc cauſalem negaverit, niſi Vaſquez; licet enim aliqui non concedant rationem, & nomen meriti propriè dicti ultimæ diſpoſitioni ad gratiam; concedunt tamen rationem aliquam impetrationis, qua dici valeat, ideò hominem juſtificari à Deo, quia contritus eſt; neque id ſanè videtur poſſe negari, cùm ſit expreſſa Trid. doctrina *ſeſſ.* 14. *c.* 4. ubi docet contritionem eſſe homini neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum, *& ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ait gratiam ſingulis diſtribui inæqualem juxtà inæqualitatem diſpoſitionis; quod dogma directè repugnat ſolutioni Vaſquez, juxtà quam nulla eſſet ratio, cur Deus potius huic, quam illi daret gratiam juſtificantem, & in tot gradibus, ſed eam pro ſuo mero arbitrio daret, aut negaret, ſicut gratiam actualem abſque ullo intuitu noſtræ diſpoſitionis; Tum planè non apparet, quomodò actus contritionis dici poſſit diſpoſitio ad gratiam habitualem, niſi quatenus à Deo ipſam gratiam impetrat; ac etiam ſi negetur nomen impetrationis, quod tamen expreſsè ponitur à Concilio; ſi tamen admittatur nomen diſpoſitionis, ut Vaſquez admittit cum communi Scholæ, ut ipſe ait, conſenſu, nullatenus negari poteſt, ideò Deum homini juſtificantem gratiam conferre, quia homo diſpoſitus eſt per contritionem.

198 Reſpondent proindè communiter alii Thomiſtæ, utramque

que illam cauſalem admitti poſſe in diverſo genere cauſæ; quatenus enim contritio eſt prior infuſione gratiæ in genere cauſæ materialis, dici poteſt, homini gratiam infundi, quia eſt contritus; quatenus verò eſt poſterior in genere cauſæ efficientis, dici poteſt, gratiam homini infundi, ut conteratur; dicunt enim nullum eſſe inconveniens, ut quod eſt prius in uno genere cauſæ, ſit poſterius in alio: ac proindè motus liberi arbitrii, qui in genere cauſæ efficientis procedit à gratia habituali, eſtque poſterior ipſa, ſit prior illa ex parte paſſi aut in genere cauſæ materialis.

199 Sed jam diximus ex ipſo principali argumento hanc ſolutionem evidenter elidi, ſiquidem prior tantum cauſalis admittitur à Scriptura, Patribus, & Conciliis, & poſterior eſt penitus inaudita: ergo non poteſt utraque cauſalis admitti. Tùm quia Deus promittit ſe daturum peccatori gratiam juſtificantem, & remiſſionem peccati, ſi habuerit actum contritionis, & dilectionis, ut conſtat ex locis Scripturæ citatis; ergo hic actus non producitur à gratia juſtificante, & per conſequens poſterior illa cauſalis non eſt admittenda; conſequentia probatur; quia ut ait Beccanus, ridiculum eſſet, ſi aliquis ità promitteret: ſi tu videris, ego dabo tibi potentiam viſivam, qua videas; ſi ambulaveris, dabo vim motivam, qua ambules; ergo ſimiliter eſſet ridicula hæc Dei promiſſio: ſi me dilexeris, dabo tibi habitum gratiæ, & charitatis, quo me diligas. Hinc Vaſquez *loc. c.* ingenuè fatetur hæc duo ſimul coniungi non poſſe, ut dicamus, ideò Deus dat gratiam, quia homo fecit talem actum, & rurſus, Deus dat talem gratiam, ut homo faciat eundem actum; undè ad hæc inconvenientia vitanda, potius negare elegit illam priorem cauſalem, quia homo contritus eſt, ideò Deus infundit gratiam; & concedere ſolum poſteriorem illi contrariam. Ratio autem à priori hujus implicantiæ eſt, quia licet inter aliquas cauſas poſſet eſſe aliquo modo mutua dependentia, & proprietas, attamen cauſa efficiens nullo modo dependere poteſt à ſuo effectu, alias eſſet, antequam eſſet; vel operaretur, antequã eſſet, cum prius ſit ſaltem natura, ut aliquid ſit, quàm ut efficienter operetur; item idem eſſet cauſa ſui ipſius, quia quod eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſati cauſa; ergò ſi actus contritionis efficienter procedit à gratia habituali, gratia nullo modo poteſt in ſuo eſſe dependere ab actu contritionis; aſſumptum patet ex dictis *diſp.* 8. *Phyſ. qu.* 1. *art.* 1.

200 Reſpondet Serra *quæſt.* 113. *art.* 8. gratiam habitualem dupliciter conſiderari poſſe in ipſa juſtificatione: primò ut infunditur, ſeù ut eſt in fieri, & habet eſſe imperfecto modo, quaſi in via; & hoc modo idem eſt cum motione Dei moventis ſecundò poteſt cõſiderari in facto eſſe, & ut habet eſſe perfectũ, & completum in ſubiecto dans ei perfectè ſuum effectum formalẽ; & hoc ſecundo modo de illa loquẽdo, inquit poſteriorem eſſe motu liberi arbitrii, qui eſt diſpoſitio ad eam; priori autem modo de illa loquendo, ait, priorem eſſe tali diſpoſitione, hancque à gratia habituali, ſeu ejus infuſione procedere tanquam à cauſa efficiente. Hæc ſolutio, qua etiam utitur Martinez, & fuit Caiet. Conradi Ferrarienſis, & aliorum Thomiſtarum, reiicitur facilè tùm ex principiis philoſophicis, tùm etiam ex theologicis; ex illis quidem quia hinc ſequeretur idem omninò eſſe poſſe cauſam realem, & phyſicam ſui ipſius in genere efficientis cauſæ, nempè conſideratum in fieri eſſet cauſa ſui ipſius in facto eſſe quod implicat; nam eſſe rei in fieri, & eſſe ejuſdem in facto eſſe non diſtinguuntur pænes principale ſignificatum, ſed tantùm pænes connotata per varios reſpectus, ut dici ſolet de prima rei productione, & ejuſdem conſervatione; quatenus res in fieri, & in omninò prima ſui productione dicit reſpectum ad non eſſe immediatè præcedens, & ut in facto eſſe, ſeu ut habens eſſe perfectum, & completum dicit reſpectum ad eſſe præhabitum imperfecto modo, Reiicitur etiam ex principiis theologicis, quoniam Trident. *loc. cit.* non tantùm ait contritionem eſſe diſpoſitionem ad gratiam in facto eſſe, ſeù ut habet eſſe perfectum, & completum in ſubiecto, verum etiam in fieri; inquit enim *ſeſſ.* 6. *can.* 3. hominem poſſe ſe diſponere per auxilium gratiæ, *ut ei juſtificationis gratia conferatur*, quæ gratiæ collatio eſt utiq; ipſa gratia habitualis in fieri. Et in *c.* 5. 6. *&* 7. ejuſdem ſeſſionis ait abſolutè hominem ſe diſponere poſſe per auxilium gratiæ actualis ad ſuam juſtificationem: juſtificatio autem ſtrictè loquendo actionem ſignificat, & ipſam gratiam in fieri potius, quam in facto eſſe; ergò falſum eſt gratiam habitualem, ut infunditur, & eſt in fieri habere rationem prævenientis, & excitantis gratiæ, & ut ſic eſſe priorem ſeipſa, & diſpoſitionem ad ſeipſam, ut habet eſſe perfectum, & in facto eſſe, ut aiunt præfati Thomiſtæ, debet enim aſſignari quoque diſpoſitio ad ipſam gratiam in fieri. Confirmatur, quia ut dictum eſt ſuprà contritio eſt cauſa moralis, quæ movet per modum meriti, & impetrationis, meritum autem influit movendo agens, ut præmium conferat, illudque producat; ergò non tantùm influit in ipſum præmium in facto eſſe, ſed etiam in collationem præmii, ejuſque productionem: ergò contritio non eſt tantùm diſpoſitio ad gratiam in facto eſſe, & ut habens eſſe perfectum, & completum in ſubiecto: ſed etiam ad ipſum fieri gratiæ, quatenus Deum movet ad ipſius gratiæ productionem, ac infuſionem in anima noſtra.

201 Hic verò notandum eſt cum Suarez, Ovvied. & aliis argumentum propoſitum de repugnantia illarum propoſitionum, *gratia datur homini, quia contritus eſt, & gratia datur homini, ut conteratur*, quas aiunt Thomiſtæ poſſe ſimul verificari, graviſſima Patrum auctoritate fulciri, & Conciliorum; ſiquidem Concil. Arauſic. *can.* 25. ex eo, quod Paulus de ſe dicat 1. Corinth. 7. *tanquam miſericordiam conſecutus ut ſim fidelis* infert non eſſe miſericordiam conſecutum, quia fidelis erat, ſentiens illas duas cauſales repugnare eidem actioni, ſeù reſpectu ejuſdem effectus: eo etiam arguendi modo utuntur Hieron. ad Epheſ. 1. & Auguſt. *lib.* 1. *de prædeſt.* Sanctorum *cap.* 17. ad probandum contrà Pelagianos, & illorum reliquias primum gratiæ auxilium non poſſe eſſe ex meritis, nam ex eo, quod Apoſtolus *loc. cit.* ad Epheſ. 1. inquit, *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti* inferunt Patres *ergo non quia eramus ſancti*, quia illæ duæ cauſales *ut* & *quia* non poſſunt ſubſiſtere; nullatenus enim intelligi poteſt, ut idem auxilium cadat ſub merito ejuſdem bonæ operationis ab ipſo procedentis, & nullatenus poteſt hæc bona operatio eſſe diſpoſitio ad impetrandum, ſeù recipiendum idem auxilium, quarè ſi Thomiſtarum ſolutiones adductæ ſunt validæ, invalida erunt argumenta prædicta Patrum contrà Pelagianos.

Tertia probatio ex ratione philoſophica.

202 Tertiò probatur ratione philoſophica: omnis diſpoſitio ad formam aliquam eſt prior ea ſaltem prioritate naturæ, alioquin nullam haberet rationem cauſalitatis circà illam; igitur in eo priori intelligitur exiſtens independenter ab omni concurſu effectivo formæ ejuſdem, vel è converſo ſi effectus aliquis ab ea forma promanat, debet talis forma intelligi ſimpliciter præexiſteri, ſicut univerſaliter omnis cauſa ſuo effectui præexiſtere intelligitur; ergo nequit idem effectus eſſe diſpoſitio prærequiſita ad exiſtentiam, & aduentum talis formæ, cùm ergo in propoſito actus contritionis, ſeù charitatis ſit ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, ſivè in genere cauſæ materialis duntaxat ſive etiam efficientis moralis, planè nequibit eſſe poſterior ipſa gratia in genere efficientis cauſæ itaut ab eadem gratia producatur. Varias ad hoc argumentum Thomiſtæ excogitarunt ſolutiones, quas ſingulas refert Ovvied. cum Suarez *lib.* 8. *c.* 12. communior tamen, & magis receptus reſpondendi modus apud ipſos eſt, diſtinguendos eſſe duos ordines cauſæ realis, quorum quilibet eſt in ſuo ordine prior, & independens ab alio primus ordo eſt ex parte efficientis, qui proindè vocatur in genere cauſæ efficientis; alter eſt ex parte paſſi, qui vocatur pariter in genere cauſæ materialis, ut etiam in ſuperioribus reſponſionibus inſinuatum eſt; juxtà quam doctrinam dicunt, argumentum adductum probare ſolùm, quod ex parte paſſi, ſeu in genere cauſæ materialis actus contritionis, ſeù charitatis præcedit gratiam habitualem; cum quo ſtat adhuc, quod in genere cauſæ efficientis ſit idem actus ipſa gratia poſterior, ut ab ea procedens.

203 Hæc ſolutio in primis eliditur per rationes theologicas ſuperius adductas contra reſponſiones ſuperius datas, & in hac eadem doctrina fundatas; Deindè mutua hæc cauſarum prioritas in diverſo genere cauſæ impugnatur paſſim extra Scholam D. Thomæ ratione philoſophica, quam attuli *diſp.* 8. *Phyſ. quæſt.* 1. *art.* 1. & ad rem noſtram ſic inſtituo; cùm dicitur gratiam eſſe priorem actu charitatis, vel contritionis in genere cauſæ efficientis, tanquam illius cauſam in hoc genere; vel in eo ſigno, & priori naturæ intelligitur gratia in anima, vel non; ſi primum, jam omninò ſuperfluum eſt cogitare aliud ordinem cauſę materialis, & diſpoſitæ, nam ad id ſolùm poterat deſervire, ut forma reciperetur in ſubiecto diſpoſito; cùm ergò jam in eo ordine, & prioritate efficientis cauſæ intelligitur gratia in anima & animæ infuſa, nulla ſuppetit ratio aſſignandi alium ordinem cauſæ materialis, & diſpoſitivæ, ne cur requiratur diſpoſitio ad gratiam recipiendam. Si verò dicatur ſecundum, quod ſcilicet, in eo ſigno non intelligitur gratia eſſe in anima, irrationabiliter omninò aſſeritur, quod in eo ſigno gratia habeat rationẽ cauſę efficientis reſpectu actus contritionis; quia cauſa efficiens non producit ſuum effectum, niſi intelligatur realiter exiſtens, & gratia non poteſt intelligi exiſtens, niſi in ſubiecto, ſcilicet, in anima, undè prius debet intelligi eſſe in ſubiecto, quam operari. Denique ut optimè notavit Ovvied. cum Suarez cit. hæc mutua cauſarum prioritas adhuc magis repugnat inter diſpoſitionem moralem, qualis eſt contritio, de qua eſt ſermo: & formam, quæ ſit ejus principium efficiens; quia diſpoſitio moralis influit in formam per modum meriti movendo & alliciendo voluntatem, efficientis, ut eam producat; nimirum in propoſito movendo voluntatem Dei, ut gratiam in anima

anima producat: ergo ſi ante diſpoſitionem ſupponitur forma producta in genere efficientis cauſæ, etiamſi non ſupponatur recepta, ut dicunt Thomiſtæ, de forma, & diſpoſitione phyſica ad ipſam: nihil jam poteſt præſtare diſpoſitio, nec ullo modo influere poterit reſpectu formæ, ſcilicet, gratiæ: ſiquidem contritio dependens in genere cauſæ efficientis à gratia, non ſolùm ſupponit voluntatem Dei determinatam ad gratiæ productionem, ſed etiam omnipotentiam Dei in genere efficientis cauſæ illam producentem; atque ideò nullum invenit locum ad movendam Dei voluntatem, ut talem gratiam producat. Tùm quia hæc mutua cauſarum realis prioritas inter formam, ac eius ultimam diſpoſitionem ſalvatur à Thomiſtis, quia exercetur in diverſo genere, nam diſpoſitio eſt prior forma in genere cauſæ materialis, & forma eſt prior diſpoſitione in genere cauſæ efficientis; ergò cùm diſpoſitio moralis, qualis eſt contritio reſpectu gratiæ, magis concurrat in genere cauſæ efficientis, quàm materialis, ad gratiæ infuſionem, non enim tantùm ait Concil. hominem ſe diſponere ad ſuſceptionem gratiæ, ſed etiam, ut juſtificationis gratia ei conferatur, non poteſt in propoſito ſalvari mutua prioritas, & cauſalitas inter ea, quia eſſet in eodem genere cauſæ.

204 Reſpondet Serra *loc. cit.* quod cum quæritur, an illo priori cauſalitatis materialis, vel diſpoſitivæ, quo actus contritionis præcedit gratiam habitualem, intelligatur gratia exiſtens in anima, nec ne; diſtinguendum eſt; nam ſecundum eſſe perfectum, & completum, & ut perfectè dans ſuum effectum formalem ſubiecto, non exiſtit in eo priori, vel exiſtere non intelligitur; ſecundum autem modum imperfectum, & forma, qua Deus movet liberum arbitrium, ſic utique exiſtit, & eſt principium efficiens ſui ipſius ſecundum eſſe perfectum, & completum, inquit enim nullum eſſe inconveniens, ut forma habens eſſe imperfecto modo ſit cauſa efficiens ſui ipſius ſecundum eſſe perfectum. Hic tamen philoſophandi modus irrationabilior adhuc eſt præcedenti Thomiſtarum communi; ubi enim ille admitti mutuam prioritatem realem, aut cauſalitatem inter diverſa in diverſo genere cauſæ; hic admittit idem eſſe poſſe cauſam efficientem ſui ipſius, nempè ſecundum eſſe imperfectum, & incompletum eſſe cauſam ſui ipſius in eſſe perfecto, & completo; at ex hoc multa ſequuntur abſurda in philoſophia, quæ deindè etiam in Theologiam redundant; nempè non eſſe neceſſariam realem diſtinctionem inter cauſam efficientem, & effectum & idem ſecundum eſſe perfectum, ſeu ſub eſſe imperfecto poſſe ſe ipſum producere ſub eſſe perfecto; undè tollitur argumentum ad probandum primam cauſam improductam, quia ſine proceſſu in infinitum poſſemus ad aliquam tandem pervenire cauſam, quæ de ſtatu imperfecto ſeipſam deduxerit ad perfectum: quarè principium illud, quod forma habens eſſe imperfecto modo ſit cauſa efficiens ſui ipſius ſecundum eſſe, perfectum, puto omninò falſum eſſe quia utrumque eſſe, vel melius ſub utroque eſſe cauſatur ab agente extrinſeco.

Declaratio præcedentium rationum.

105 Quartò tandem probatur, vel magis declaratur vis præcedentium rationum Deus infundit habitualem gratiam intuitu diſpoſitionum præcedentium ad illam; ergo nequit actus ille, qui eſt diſpoſitio, eſſe ab eadem gratia, ut principio efficiente; conſequentia probatur, quia cùm ratione illius diſpoſitionis velit gratiam habitualem infundere, jam intuetur actum illum ut factum à libero arbitrio, & quidem adiuto alicuius gratiæ auxilio, quæ cum habitualis eſſe nequeat, cum nodum intelligatur, Deus volens illam infundere, erit actualis duntaxat. Reſpondet Vaſquez Deum infundere gratiam intuitu diſpoſitionum tempore præcedentium ipſam gratiam, & de illis tantùm verum eſſe gratiam dari intuitu diſpoſitionum. Hoc tamen effugium optimè præcludit Suarez *lib. 8. cap. 12.* quia tales diſpoſitiones tempore præcedentes non diſponunt proximè hominem ad gratiam habitualem, ſed tantùm remotè: ergo gratia non infunditur immediatè earum intuitu, ſiquidem ſunt tantùm remotæ diſpoſitiones, cum quibus gratia infallibilem non habet connexionem, donec ultima diſpoſitio conſumetur; ergo ſola ultima diſpoſitio conſumata eſt illa, cuius intuitu proximè, ac per ſe gratia infunditur.

206 Reſpondet Serra, Deum in eſſe perfecto gratiam infundere reſpiciendo actum, qui eſt ultima diſpoſitio, ut jam elicitum non quidem in ratione actus meritorii, ſed in ratione actus diſpoſitivi; ex quo licet ſequatur talem actum ſub ratione diſpoſitivi eſſe elicitum antè gratiam habitualem in eſſe perfecto, non tamen in eſſe imperfecto, undè ab hac, & non ab aliquo auxilio actuali efficienter procedit; etſi de gratia in eſſe imperfecto ſit ſermo, admittendum eſt, non infundi propter actum in ratione diſpoſitivi, ſed ut habeatur, & eliciatur talis actus ſub hac diſpoſitivi ratione. Hæc rurſus replicata, & ſemper inculcata reſponſio ab hoc Auctore refellitur ex dictis, tùm quia ut conſtat ex *nu.* 200. contritio ex Trid. non tantùm eſt diſpoſitio ad gratiam in facto eſſe, ſeu ut habet eſſe perfectum, & completum in ſubiecto; verùm etiam in fieri, & ſub eſſe imperfecto; ergò nequit talis actus eſſe à gratia, ut à principio efficiente, etiam conſiderata in fieri, & ſub eſſe imperfecto. Tùm quia hinc ſequeretur gratiam in facto eſſe effici à ſeipſa in fieri conſiderata quod implicat, cùm idem eſſe nequeat cauſa ſui ipſius efficiens, & hoc cernimus in forma naturali, quæ in fieri non eſt cauſa ſui ipſius in facto eſſe, ſed tam in fieri, quàm in facto eſſe cauſatur ab agente extrinſeco. Tùm quia, cum dicitur talem actum contritionis ſub ratione diſpoſitivi eſſe elicitum antè gratiam habitualem in eſſe perfecto, non tamen in fieri, & in eſſe imperfecto; ſic argumentor, prius eſt formam eſſe, quam operari, ergo ſi actus contritionis procedit à gratia habituali efficienter; hæc prius intelligitur eſſe, quam operetur, & non tantùm intelligitur eſſe in fieri, ſed etiam in facto eſſe, quia & fieri, & factum eſſe præcedit in re ad operari, & rurſus, cùm gratia ſit forma accidentalis, cuius eſſe eſt ineſſe, prius intelligi debet gratia eſſe recepta in anima, & conſequenter dans ei perfecte ſuum effectum formalem, quàm intelligitur eliciens actum contritionis; ergò a primo ad ultimum actus contritionis, ſi efficienter à gratia habituali procedit, non erit ab ipſa tantùm in fieri conſiderata, & ut habens eſſe imperfectum quaſi in via; ſed etiam in facto eſſe, , & ut habet eſſe perfectum, & completum, in ſubiecto quia univerſaliter loquendo prius eſt formam eſſe perfectè, & ſimpliciter in ſubiecto, quàm operari.

Ex quo tandem falſum eſſe deducitur, quod ait Auctor ille cum Caiet. gratiam habitualem eſſe medium, quo Deus movet liberum arbitrium in dilectionem Dei, & deteſtationem peccati, qui motus eſt contritio, & à gratia habituali cum primò infunditur, talem actum procedere, & non ab aliquo auxilio actuali ab eo diſtincto; Oppoſitum ſiquidem ex Trid. precipuè deducitur, cum enim *ſeſſ. 6. c. 5. 9. & 7.* dicit hominem ſpeciali Dei auxilio adiutum ſe diſponere ad ſuſceptionem gratiæ, & cum rurſus definit *can. 3.* hominē auxilium gratiæ poſſe ſe diſponere, *ut in juſtificationis gratia conferatur*, jam clarè diſcrevit gratiam actualem ab habituali, clarè docuit actum contritionis qui eſt ad gratiam habitualem diſpoſitio, effici ab aliquo auxilio actuali diſtincto à gratia habituali, ejuſque infuſionem ſaltem natura præcedente; alias rationes non minus efficaces adducunt Suarez, & Card. de Lugo *loc. cit.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Diluuntur Obiectiones.

In oppoſitum Primò obiiciunt plura Scripturæ, Patrum, & Conciliorum teſtimonia, quibus adſtruitur neceſſitas gratię ad hoc, ut homo Deum diligat, alioſque ſupernaturales actus exerceat, quæ ſigillatim adducuntur, & ponderantur à Suarez, & Ovvied *loc. cit.* Reſpondetur tamen breviter hæc teſtimonia non urgere, quoniam ut Vaſquez ipſe concedit *c. 3.* non loquuntur Patres, & Concilia de gratia habituali, & juſtificante, ſed præſertim de gratia actuali, & auxiliante; hoc enim erat eorum intentum contrà Pelagianos, adverſus quos diſputabant; quod ex eo præſertim deducitur, quod in eis locis non loquuntur ſolùm de Dei dilectione, vel contritione, quæ eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem; ſed de quocunque actu qui ſit etiam diſpoſitio remota ad juſtificationem, eamque tempore, & non tantùm natura præcedat: de quibus actibus certum eſt non procedere à gratia habituali, & iuſtificante, ſed tantùm actuali, & auxiliante. Dices Concilia & Patres etiam loqui de gratia habituali, nam Arauſicanum *can. 25.* inquit, *Dei donum eſſe diligere Deum, quia ipſe dedit nobis, ut eum diligeremus, qui charitatē diffundit in cordibus noſtris*, ubi per charitatem utique habitualem gratiam intelligit: & Auguſt. in manuali *c. 20.* ait *cum amat nos infundendo gratiam, nihil aliud intendere, quam ut illū amemus* ergò prius infundit nobis charitatē deindè illum diligimus, & ob eius amorem peccatum deteſtamur. Reſpondeo negari non poſſe, quin Scripturæ, Pates, & Concilia loquantur etiam interdum de gratia habituali; nam eam quoque Deus elargitur, ut eum diligamus, imò ut magis, & perfectius diligamus, adeout dilectio ſit etiam meritoria de condigno vitæ æternæ; in hoc itaque ſenſu teſtimonia citata interpretari debent, quod loquatur & de gratia actuali, & de habituali: ſiquidem nobis utramque Deus infundit, ut eum diligamus; ſed tamen diverſo modo, actualem namque infundit Deus, ut adiutorium ad actum contritionis eliciendum; habitualem verò, ut actus ipſe dilectionis ſit quoque æternæ vitæ meritorius de condigno. 208

Secundò obiiciunt ex ſupernaturalitate actus; quia hujuſmodi actus charitatis, & contritionis, qui ſunt ultima diſpoſitio ad gratiam, non ſunt minus ſupernaturales, quam alii actus contritionis, & charitatis, qui fiunt ab homine juſtificato; ſed iſti fiunt à gratia habituali mediis illius habitibus, ergo & illi Reſpondeo negando conſequentiam, non enim ſolus con- 209

tritionis actus, qui eſt ultima ad gratiam diſpoſitio, ſed etiam actus attritionis, aliique ſimiles ſolùm remotè diſponentes ſunt ordinis ſupernaturalis, atque ideò procedere debent à principio, & forma ſupernaturali: & tamen certum eſt eos non procedere à gratia habituali, quam tempore præcedunt, ſed tantùm ab auxilio actuali; ſicut ergo ad ſupernaturalitatem horum actuum ſufficit ſpecialis concurſus gratiæ actualis, ita pariter ad contritonem; quia actus ſupernaturalis æquè bene provenire poteſt ab auxilio ſpeciali ordinis ſupernaturalis, atque ex habitu infuſo.

Dices, licet non ſit abſolutè neceſſarium, ut actus ſupernaturalis ab ipſa gratia habituali procedat, tamen convenientius eſt, ut ab ipſa gratia efficiatur, quando ipſa re vera adeſt, tunc enim connaturalius ſit per principium intrinſecum; at ultima diſpoſitio ad gratiam eſt in eodem inſtanti temporis cum ipſa gratia, ut dictum eſt ab initio quæſtionis; ergo quamvis actus remotè diſponentes non ſint à gratia effectivè, id tamen negari nequit de actibus proximè diſponentibus. Reſpondeo negando conſequentiam; quamvis enim ultima diſpoſitio ad ipſam ſit ſimul cum ea in eodem temporis inſtanti, adhuc tamen præintelligitur in aliquo ſigno naturæ, ut diſpoſitio ad ipſam; atque ideò fieri non poteſt, ut ſimùl ipſa gratia talem actum ultimæ diſpoſitionis efficiat; ad hoc enim, ut aliqua operatio procedat à forma ſibi proportionata, ſupponi debet forma ipſa ordine, & prioritate naturæ præcedens; quarè adhuc connaturalius procedit ab auxilio extrinſeco, gratiæ actualis vices ſupplente, quam ſi ab ipſa habituali gratia procederet effectivè, ad quam ponitur diſpoſitio; hoc enim eſt omninò contra naturam diſpoſitionis, & formæ.

210 Tertiò arguunt, hujuſmodi actus, qui ſunt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, ſunt meritorii de condigno gloriæ; ergo procedunt efficienter ab ipſa gratia; probatur conſequentia, quia non poteſt actus eſſe meritorius de condigno gloriæ, niſi procedat á gratia habituali, ſiquidem valor, & dignitas operis meritorii ab ipſa procedit; aſſumptum verò exindè conſtat, quia aliàs poſſet aliquis adultus juſtificatus extrà Sacramentum conſequi gloriam ſine merito gloriæ. Reſpondetur conceſſo aſſumpto, negando conſequentiam; ad probationem dico actum contritionis dici poſſe conſtitui meritorium glorię per ſupervenientem gratiam in eodem inſtanti temporis in quo elicitur, quāvis non ab ipſa gratia effectivè procedat, etenim ut docet Scotus *loc. cit.* & ſequitur Suarez *cap. 13.* in eo temporis inſtanti duo ſunt aſſignanda naturæ inſtantia; unum in quo antecedit gratiam illa ultima diſpoſitio, & eſt prior ea; alterum quo ipſam concomitatur, & jam intelligitur informata gratia; in primo ſigno naturæ, in quo diſponit ad gratiam, & adhuc informis intelligitur, non eſt meritoria gloriæ de condigno, nec à gratia habituali procedit, ſed ſolùm à gratia actuali; ſed tantùm in poſteriori ſigno, in quo per gratiam intelligitur formata, etiamſi non ſit per eandem gratiam effecta; talis enim informatio ſufficit ad eum actum conſtituendum vitæ æternæ meritorium de condigno, etiamſi à gratia, tanquam à principio efficiente non procedat; ſatis enim eſt, ut ſit in homine grato, etenim ex dignitate perſonæ ſtatim moralem dignitatem quandam conſequitur, ratione cujus formata eſſe dicitur, ut docet Doctor *loc. cit.*

211 Quartò arguunt; nam hinc ſequeretur motum contritionis perfectæ, aut charitatis poſſe dari informem, ſicut datur motus fidei, quia neuter iſtorum præſupponit gratiam; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Reſpondeo negando conſequentiam, nam ſimpliciter, & abſolute loquendo actus dicitur informis, quando eſt ſimul cum peccato, ut actus fidei, vel ſpei in peccatore; at motus contritionis perfectæ cum in nullo exiſtat temporis inſtanti, in quo non ſit cum gratia, nam in eodem temporis inſtanti, quo elicitur, gratia infunditur, conſequenter nunquam à parte rei datur informis, quia nunquam datur cum peccato, ſed in eodem inſtanti formatur per gratiam. Dices, in illo priori naturæ ſigno, quo talis actus gratiam præcedit, ut ultima ejus diſpoſitio, non eſt formatus gratia, ergo eſt informis, imò eum informem Scotus ipſe appellat in eo ſigno. Reſpondeo quando actus ille à Scoto appellatur informis, non intelligit diverſivè, quaſi à parte rei non ſit formatus gratia, ſed præciſivè, quatenus licet quolibet temporis inſtanti ſit formatus, tamen in eo primo ſigno naturæ, in quo præcedit, ut diſpoſitio, gratiam, ab ejus informatione præſcindit, ſicut homo à parte rei albus in priori naturæ à tali informatione præſcindit, ut notat Hiribarnes *diſp. 6. ſect. 9. in fine.*

212 Quæres, an actus contritionis gratia formatus, vel dignificatus ſit prior remiſſione peccati, vel poſterior. Reſpondeo, ſi per hujuſmodi formationem, & dignificationem intelligatur ſola quaſi unio phyſica cum gratia, tunc in ſententia noſtra aſſerente introductione formæ novæ eſſe priorem natura expulſione antiquæ, quam declaravimus ſuprà *quæſt. 5.* dicendum eſt actum, ut ſic dignificatum, phyſicè eſſe priorem remiſſione peccati, quia gratia, ut exiſtens in ſubiecto eſt, quæ petit remiſſionem culpæ, non verò è contrà, remiſſio, ut exiſtens, petit gratiam; ſi verò per actum remiſſionis formatum, & dignificatum intelligatur non ſola conjunctio cum gratia, ſed abſoluta dignitas, quæ juſtificationi tribui ſolet, ſic inquam, in tali dignitate etiam ipſa culpæ remiſſio includi debet, ut notat Arriaga *diſp. 50. num. 22.* nam ſubjectum etiam habens gratiam, non intelligitur gratum, & ſanctum, donec intelligatur remiſſa culpa, quod totum ſatis clarè deducitur ex Scoto *4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2.*

Quintò arguit Serra; in naturalibus, ut habet commune axioma, ultima diſpoſitio ad formam eſt ab ipſa forma v. gr. calor, ut octo, à forma ignis, non quidem ut talis forma habet eſſe perfectum, & completum in ſubjecto dans ei perfectè ſuum effectum formalem, nempè eſſe ignis, ſic enim ignis genitus ſeipſum efficeret; ſed ut habet eſſe imperfecto modo, & in via, eſtque in fieri; idemque eſt cum generatione, quæ eſt actio generantis, qua & forma geniti producitur, & diſpoſitio ad ipſam; non enim ſunt in inſtanti generationis duæ agentis actiones, ſed una, & eadem eſt, non ſolùm inductiva formæ, ſed etiam diſpoſitiva; ergò idem dicendum eſt hic, ultimam, ſcilicet, diſpoſitionem ad gratiam eſſe ab ipſa gratia, non quidem ut habet eſſe perfectum, & completum in ſubiecto, dans ei ſuum effectum formalem perfectè; ſed ut infunditur, ſeù ut eſt in fieri, & habet eſſe imperfecto modò, & in via, eſtque idem cum ipſa ejus infuſione, quæ eſt motio quædam Dei moventis, ejuſque actio, qua non ſolùm inducit gratiam, ſed etiam ad eam ſubjectum diſponit. 213

Reſpondeo juxtà varias ſententias de primò, & immediato accidentium ſubjecto, duplicem eſſe philoſophandi modum de ultima diſpoſitione ad formam ſubſtantialem in generatione naturali; primus modus eſt, quem ſecuti ſumus in Phyſicis, & libr. de gener. ut reſolutio fiat uſque ad materiam primam, & pereant omnes diſpoſitiones præcedentes in corrupto, & novę introducantur in genito, & juxtà hanc etiam diſpoſitiones præcedentes inſtans generationis dicuntur ſufficere ad expellendam formam contrariàm, & in ipſo generationis inſtanti non eſſe neceſſariam diſpoſitionem ultimam materiam pręparātem, quia materia nuda de ſe ſufficienter eſt capax cujuſque formæ, & per virtutem agentis talis in materiam ipſam nudam introducitur determinata forma, ut dictum eſt *diſp. 5. Phyſ. quæſt. 8. art. 1.* & juxtà hunc modum, quem etiam Thomiſtæ ipſi ſequuntur, conſequenter utique dici poteſt, qualitatem illam, quæ ultima dicitur diſpoſitio, effectivè à forma manare noviter introducta, & eſſe illa poſteriorem ordine naturæ; at ſic diſcurrendo, jam ibi diximus; illam talem qualitem non eſſe re vera diſpoſitionem ſubjectum præparantem pro receptione formę, nec in ullo genere cauſæ eſſe illa priorem, ſed eſſe diſpoſitionem conſequentem per modum connaturalis proprietatis talis formæ. Alter modus philoſophandi eſt, ut accidentalis tota diſpoſitio præcedens inſtans generationis, non pereat in ipſo generationis inſtanti, ſed conſumetur in ratione ultimæ diſpoſitionis, & maneat, tanquam prævia, & præparans materiam ad formæ introductionem, & juxtà hanc viam minimè dici poteſt eam diſpoſitionem ultimam eſſe effectivè à forma geniti, cùm generans illam introduxerit toto tempore inſtans generationis præcedente, cui diſpoſitioni in inſtanti generationis nihil additur præter indiviſibile terminans gradum intenſionis, quod etiam ex vi totius alterationis præcedentis reſultat, & non ex vi ipſius generationis ſubſtantialis; undè neque juxtà hunc dicendi modum concludit argumentum, & doctrina illa, quod diſpoſitio ultima ad formam ſubſtantialem ſit ab ipſamet forma in fieri, & in via, eſt pænitus falſa, & in nulla ſententia habet locum; nam juxtà primam viam eſt utique à forma, ſed non eſt diſpoſitio præcedens, & præparans, ſed formam concomitans, & conſequens, neque dimanat à forma in fieri, ſed in facto eſſe conſiderata, & ſub eſſe perfecto, & completo, quia eam conſequitur per modum connaturalis proprietatis, & ſpectat potius ad ejus conſervationem, quàm ad generationem; juxtà verò aliam viam illa ultima diſpoſitio, nempè calor, ut octo, non eſt ab ipſa forma, cùm ipſam præcedat, ſed ab ipſo generante, non quidem per actionem generativam, ſed præciſè per alterativam, quæ ſunt diſtinctæ actiones, & una ad aliam eſt prævia. 214

Sextò tandem arguunt; quia non repugnat cauſas eſſe ſibi invicem cauſas in diverſo genere cauſandi, & ita idem reſpectu eiuſdem eſſe prius, & poſterius in diverſo cauſalitatis ordine: ad quod ſuadendum afferunt quædam exempla naturalium cauſarum, & præſertim exemplum introductionis novæ formæ, & expulſionis antiquæ; in uno enim genere cauſæ prius introducitur forma geniti, ſiquidem ipſa expellit formam pręcedentem in alio tamen genere prius expellitur forma præcedens, non enim poſſet introduci forma ſubſequens, niſi recederet forma præcedens; ergo expulſio, & introductio habent mutuam prioritatem, & cauſalitatem adinvicem: Item adducunt exemplum ingreſſus aeris, & aperitionis feneſtræ; prius enim eſt aerem ingredi, quam feneſtram aperiri, cum earis ingreſ- 215

ſus ſit cauſa, quod feneſtra aperiatur: rurſus prius eſt feneſtram aperiri, quam aerem ingredi; ideò enim aer ingreditur, quia feneſtra aperitur; datur ergo mutua prioritas, & cauſalitas.

Reſpondetur ſatis patere ex dictis in Phyſicis, in tali genere cauſandi, quo diſpoſitio præcedit formam, & quo cauſa efficiens præcedit effectum, nullatenus poſſe diſpoſitionem, & formam eſſe ſibi inuicem cauſas in genere cauſæ materialis, & effectivè; Tùm quia, ut dictum eſt ſuprà *num.* 203. quando hæc etiam mutua prioritas, & cauſalitas admitteretur inter formam ſubſtantialem, & diſpoſitionem phyſicam; adhuc neganda eſt de morali diſpoſitione, de qua hic eſt ſermo: cùm in ea cernatur ſpecialis repugnantia, quæ non habet locum in phyſica. Ad ea verò exempla ſatis dictum eſt *diſp. 9. Phyſ. q. 3. art. 2. ad* 2. ac etiam nonnihil ſuprà *nu.* 137. & aliis quoque pluribus ſatisfeci *diſp. 8. Phyſ. qu. 1. art.* 1. de quibus exemplis ex inſtituto agit Cardinal. de Lugo *diſp. 8. de pœnit. ſect.* 8. ubi ſingulis ſigillatim ſatisfacit.

QUÆSTIO OCTAVA.

An actus contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia abſque gratia inhærente vim habeat juſtificandi.

216 CErtum eſt de facto hominem juſtificari per infuſionem habitualis gratiæ, ut docet Trident. *ſeſſ.* 6. & Scotus anteà 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. ut jam *quæſt.* 1. hujus Diſputationis notavimus; Dubium tamen eſt; an effectus juſtificandi ſit ità proprius habitualis gratiæ, ut de facto nunquam fiat hominis juſtificatio niſi per gratiam, nec aliter accidere poſſit etiam per potentiam Dei abſolutam; Eſt autem præſertim dubitatio de actu perfectæ contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, an propter excellentiam intrinſecam talis actus vim habeat juſtificandi: non tantùm per modum diſpoſitionis, uti de facto habet: ſed per modum etiam cauſæ formalis, ſeù ipſius formæ juſtificantis, itaut licet contrito non infunderetur habitualis gratia, adhuc per ipſam contritionem intelligeretur jam juſtus, & ſanctus, & mundus à culpa habituali ob intrinſecam excellentiam talis actus.

In hac controverſia tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & una media; Prima extrema, & valdè communis negat hanc vim actui contritionis, & dilectionis Dei, non tantùm de facto, ſed etiam de poſſibili, ità Suarez, Scoto, Valentia, Bellarminus, Vega, Molina, Monteſinus, Lorca, Granadus, Io. à S. Thomo, Hacquetus, Lezana, Averſa, Caſpenſis, Amicus, Ovviedus, Cardinalis de Lugo, & alii Recentiores, pro qua citant alios antiquiores. Altera extrema ſententia vim hanc tribuit actui contritionis, & dilectionis non tantùm de poſſibili, ſed etiam de facto ità Meratius *tract. de gratia diſp.* 12. per plures ſectiones pugnaciſſimè defendit, Gaſpar Hurtad. *tract.* de pœnitentia *diſp. 2. diſt.* 7. Turrianus *opuſ. 6. diſp.* 4. per plura dubia, & alii nonnulli, quibus præiuit Vaſquez *diſp.* 203. ubi per plura capita partem affirmantem maxime fovit, & dilectionis Dei efficaciam ſummoperè commendavit, & accerrimè defendit, licet de facto verius ſit, hominem non per contritionem, ſed per habitum gratiæ juſtificari, de poſſibili tamen poſſe per ſolam gratiam juſtificari, imò probabile eſſe, quod de facto non tantùm per gratiam, ſed etiam per contritionem juſtificetur, & inquit id minimè eſſe contrà Eccleſiæ definitionem, quam ait definiſſe ſolùm contrà Sectarios fieri juſtificationem per formam inhærentem, non per imputationem; an verò hæc forma ſit actus, vel habitus, inquit ipſe, Eccleſiam non definiviſſe.

Tertia tandem ſententia media docet actus dilectionis Dei ſuper omnia, aut contritionem de facto non juſtificare formaliter itaut ſint cauſa formalis juſtificationis, ſed tantùm diſpoſitivè, quatenus diſpoſitiones proximę ſunt ad juſtificationem, ut definit Trid. *ſeſſ. 6. c. 6.* de poſſibili tamen poſſe etiam juſtificare formaliter; ità Morandus *tract. 4. de gratia qu.* 23. Serra *par. 2. qu. 113. art. 2. dub.* 2. & alii, quorum aliqui contendunt, quod eo caſu effectus formalis ſanctificandi conveniret illis actibus ex natura ſua; alii verò ex acceptatione tantùm divina; & Serra præſertim inquit, quod licet actus contritionis, & dilectionis non poſſit eſſe cauſa formalis juſtificationis perfectæ, qualis eſt, qua modò juſtificantur impii: per abſolutam tamen Dei potentiam poſſe eſſe cauſam formalem juſtificationis, qua verè, & propriè, licet non ità perfectè, peccatum remittitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Reſolutio Controverſia.

217 DIcendum eſt cùm hac tertia ſententia media, loquendo de facto gratiam tantùm, ſeu habitum charitatis, quem ab ea non diſtinguimus, habere vim ſanctificandi formaliter; ſeù per modum cauſæ formalis, nequaquam autem actum contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia; per potentiam tamen Dei abſolutam poſſe hos quoque actus ſanctificare formaliter, quantum ſat eſt ad delendum peccatum, animamque Deo gratam reddendam, & amicam, non quidem ex natura rei, ſed ex ſola acceptatione divina. Hęc concluſio eſt Scoti quoad omnes partes; etenim quod de facto fiat hominis juſtificatio per habitum infuſum, & non per ſolum actum docet ex profeſſo 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. contrà opinionem Magiſtro impoſitam, quod per ſolam contritionem fieret peccatorum remiſſio, & non per aliquem habitum infuſum, & 4. *diſt. 14. q. 2. §. de ſecundo principali* docet attritionem perfectè circumſtantionatam in genere moris, quæ in ejus ſententia eſt contritio informis, quatenus natura præcedit gratiam, eſſe diſpoſitionem tantùm, & meritum de congruo ad juſtificationem, & peccati remiſſionem; quatenus verò formata eſt gratia delere peccata etiam formaliter, non ratione ſui, ſed gratiæ annexæ, à qua valorem accipit, undè inquit eundem actum attritionis per infuſam gratiam fieri contritionem, & ut ſic culpam delere; Nec obſtat, quod dicit *diſt. 15. q. 1. §. quantum ad iſtum* contritionem eſſe ſatiſfactionem peccato æquivalentem, proindè per illam deleri peccatum formaliter. Hoc enim non in eo ſenſu dixit, quaſi hanc vim habeat contritio ex ſe, ut informis eſt, & natura præcedens gratiam, de quo tantùm eſt quæſtio; ſed ut formata gratia, ſicut jam ſuprà dixerat *diſt. 14. qu.* 2. Quod verò de potentia Dei abſoluta poſſit actus contritionis, & dilectionis Dei hanc vim ſanctificandi habere, ſequitur ex ejus principiis; cum enim teneat de potentia Dei abſoluta poſſe peccatum dimitti abſque infuſione gratiæ per ſolam extrinſecam condonationem; tantò magis id erit poſſibile mediante actu ipſo contritionis, & quod tandem hæc virtus non illis actibus competeret ex natura ſua, ſed ex extrinſeca acceptatione divina, ſequitur pariter ex ejus principiis; ſi enim ità theologizatur de ipſo gratiæ habitu, ut in ſuperioribus viſum eſt, conſequenter in Scoti ſententia erit pariter de actu charitatis diſcurrendum in ordine ad effectum juſtificandi, & peccata remittendi; Sed jam probemus aſſertionem noſtram diſcurrendo per ſingulas partes.

Prima probatio ex Scriptura, & Patribus.

Primò itaque probatur ex Scriptura, & Patribus, etenim 218
in pluribus Scripturæ locis homini pænitenti promittitur remiſſio peccatorum, per quod inſinuatur hanc peccatorum remiſſionem eſſe diſtinctum quoddam beneficium divinæ miſericordiæ præter hominis pœnitentiam; & hanc potius ſe habere, tanquam præviam diſpoſitionem, & neceſſariam conditionem; non promittitur autem aliquid à Deo ſub conditione ſui ipſius, ſicut promittitur paſſim juſtificatio ſub conditione contritionis, Iſaiæ 1. *Lavamini, mundi eſtote &c.* Ioel. 2. *convertimini ad dominum, quia benignus &c.* & 2. Regum 12. dicenti David *peccavi Domine*, quæ erat confeſſio actum exprimēs interioris pænitentiæ, ſtatim reſponſum fuit *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, in quo clariſſimè ſignificatur beneficium remiſſionis omninò diſtinctum à Davidis pænitentia, ac veluti ejus intuitu illi collatum; Item pſalm. 31. *dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, & Ezech. 18. *ſi impius egerit pœnitentiam, vita vivet.* Et in hoc eodem ſenſu, ſicut Scripturæ loquuntur, Patres hanc Dei promiſſionem intellexerunt, tanquam de aliquo poſt contritionem dādo; ſic Auguſt. in pſalm. 144. *Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit*, quibus ſanè verbis converſionem ab indulgentia apertè diſtinguit; ſic etiam loquitur Fulgentius *Epiſt. 7. c. 7.* & alii Patres paſſim; ergò in prædictis Scripturę locis promittitur juſtificatio, & peccatorum remiſſio, ut beneficium omninò diſtinctum poſt contritionem.

Ex quibus ſanè locis ſtatim præcluditur evaſio Vaſquez, & 219
aliorum dicentium in prædictis locis non promitti remiſſionem peccati, tanquam novum beneficium poſt contritionem, ſed potius explicari efficaciam contritionis ad cauſandum illū effectum formalem. Præcluditur, inquam, hæc evaſio eiſdem Scripturæ locis adductis; quia ſi peccatorum remiſſio eſſet formalis ejuſdem pœnitentiæ effectus, & non potius beneficium omninò diſtinctum; fruſtrà in eis fieret promiſſio indulgentiæ homini pænitenti, quia non promittitur aliquid ſub conditione ejuſdem, & planè promiſſio ſub aliqua conditione denotat conſecutionem diſtincti prǽmii poſt illam cōditionem poſitam. Præcluditur etiam alia ejuſdem Vaſquez, & aliorum dicentium in locis adductis Scripturā non loqui de pęnitentia perfecta, quæ eſt contritio, ſed de imperfecta, quæ eſt attritio. Etenim in illis locis promittitur infallibiliter illa miſericordia, & indulgentia homini converſo, & pęnitenti; ſed certè hęc non refertur ad pęnitentiam imperfectam, vel attritionem: ſed ad perfectam, quæ eſt contritio, quia attritioni, ac imperfectæ pęnitētię nō promittitur infallibiliter juſtificatio, & ex contextu eorundem locorum clarè deducitur ſermonem in eis fieri de contritione, ac perfecta pœnitentia, ut conſtat ex illo Ioel. 2. *convertimini ad me in toto corde veſtro.*

220 At inquit Ovvied *tract. 8 controv. 1. punct. 7. n.* 106. hoc argumentum efficax eſſe contrà Vaſquez, & contrà omnes, qui aſſerunt formam iuſtificantem expellere peccatum abſque ulla dependentia à voluntate Dei, itaut implicet illud non expellere, qui autem ſentiunt formam iuſtificantem poſſe de potentia abſoluta cum peccato coniungi, & ea poſita requiri aliam voluntatem Dei, ut peccatum deſtruat, hoc argumento non præmi; quia nimirum in hac ſententia forma iuſtificans per novam Dei voluntatem, ac beneficium diſtinctum ei regulariter annexum peccata remittit, quarè hoc argumentum abſolutè putat inefficax. Cæterum falſum eſt argumentum in hac quoque ſententia non urgere; quamvis enim hæc etiam de facto ponat remiſſionem peccati fieri per voluntatem diſtinctam Dei ab infuſione gratiæ, quę dicitur condonatio, & eſt aliud beneficium ab infuſione gratiæ diſtinctum; quia tamen Deus hunc actum ponit ad exigentiam gratiæ vel phyſicam, vel moralem, ideò non dicitur eſſe novum beneficium, vel nouus Dei favor ſed potius conſumptio illius, qui fit in ipſa gratiæ collatione; ſi enim illa condonatio exigitur à forma intrinſeca, ſive ex natura rei, ſive moraliter, profectò nec nova dici debet, nec novum beneficium; ſicut neque calor dicitur ad poſitionem frigoris expelli, per aliquod extrinſecum, aut per novam Dei voluntatem, etiamſi neceſſaria ſit extrinſeca volitio Dei ab introductione frigoris diſtincta, qua velit ceſſare ab eius conſervatione ad præſentiam frigoris, ut non ſemel dictum eſt ſuperius in hac *diſp. n. 14. & 67.* Imò id ipſum fatentur etiam Thomiſtæ aſſerentes gratiam ex natura rei expellere peccatum, itaut implicet illud non expellere; inquiunt enim & ipſi de facto præter gratiam, quam ex ſua natura dicunt expellere peccatum requiri acceptationem, vel condonationem divinæ voluntatis, qua velit remittere peccatum; quia licet hæc condonatio ſuppoſito peccato hominis iuſtificandi includatur in gratiæ infuſione, non tamen abſolutè, cum poſſit eſſe gratiæ infuſio ſine aliqua peccati condonatione, ut patet in juſtificatione Chriſti Adami, & Angelorum, ità Serra *cit. q. 113. ar. 2. dub.* 2. Itaque hoc eſt diſcrimen inter infuſionem gratiæ, & actus contritionis, vel dilectionis Dei; quod infuſio gratiæ de facto includit voluntatem, qua Deus per illam velit remittere peccatum, tanquam per cauſam formalem, undè habenti gratiam non promittitur à Deo remiſſio peccati tanquam nova miſericordia, & ſubſequens beneficium, ſed reipſa illi remittitur peccatum; at actus contritionis, & dilectionis non includit talem voluntatem, qua Deus velit per eam remittere peccatum: ſed tantùm illi promittitur, ut nova miſericordia, & ſubſequens beneficium, ut conſtat ex hoc locis Scripturę adductis, & ideò in nulla ſententia poteſt remiſſio peccati poni eius effectus formalis, ſed reſpectu illius ſolum ſe habet ut diſpoſitio, & via undè modo prorſus diverſo remiſſio peccati eſt infallibiliter connexa cum infuſione gratiæ, & cum actu contritionis, vel dilectionis: etenim cum ea ſimultaneè, eſt connexa, ac veluti eſſentialiter in ea incluſa, ſicuti effectus formalis cum forma, at cum actu contritionis eſt connexa omninò conſequenter, veluti cum prævia diſpoſitione ad talem formam proxima, & immediata; quod punctum eſt in hac re valdè notandum ad percipiendam vim huius argumenti ex Scripturis deducti.

Secunda probatio ex Tridentino.

221 Secundò principaliter probatur ex variis locis Concil. Trid. quæ fusè adducuntur, ponderantur a Suarez *lib. 7. de gratia c.* 13. Ouvied. Amic. Lugo, & aliis, etenim *ſeſſ. 6. cap.* 7. docet hominem juſtificari per infuſionem gratiæ, & juſtitiæ inhærentis, & permanentis; atque ideò per habitum, non per actus; quia actus propriè dici nequeunt infuſi, cum ſint ab homine eliciti; & licet inhæreant, tamen non dicuntur phyſicè, & propriè permanere, ut ſonat totius illius capitis contextus. Et quamvis Meracius cum Vaſquez, & Turrianus varia adducant Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum teſtimonia, quibus actus ſupernaturales infundi dicuntur; adhuc tamen valdè ponderandum eſt, quod hæc eadem teſtimonia ab homine petant diſpoſitionem ad juſtificationem, juſtificationem verò ipſam, & peccatorum remiſſionem ſoli Deo attribuunt, ut patet ex illo Iſaiæ 43. *ego ſum, ipſe qui de leo iniquitates tuas*, & ex illo Marci 2. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus:* Ex quo deducitur non ſufficere ad hominis juſtificationem actum hominis etiam ex ſpeciali Dei auxilio elicitum, alias homini tribui poſſet juſtificatio in eo ſenſu, quo ei tribuitur diſpoſitio, hæc enim non ei tribuitur, ut opus propriis ejus viribus elicitum, ſed ex auxilio etiam Dei ſpeciali, itaut ſit ſimul opus Dei, & hominis; at juſtificatio dicitur opus ſolius Dei, adeout homo ad illud non concurrat, niſi diſpoſitivè. In eodem cap. inquit unicam eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, quam ait eſſe juſtitiam nobis inhærentem, quàm unuſquiſque recipit ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem; quod planè de juſtitia actuali intelligi nequit, ſed de habituali tantùm; at ſi non tantùm habitus gratiæ vim haberet formaliter juſtificandi: ſed actus quoque, jam non unica tantùm eſſet formalis cauſa juſtificationis noſtræ, ſed duplex.

Neque ſatisfacit, quod inquit Turrianus *cit. dub. 3. n. 16.* cum 222
Vaſquez, ſenſum Concilii eſſe, hominem non juſtificari ſimul per aliquod inhærens, & per imputationem Dei extrinſecam, quemadmodum dicebant Canonici Colonienſes, & ex hæreticis Bucerus, & Kennitius. Quamvis enim hunc quoque ſenſum intendat ibi Concil. tamen in eo etiam ſenſu hoc dogma ibi pronunciavit, unicam eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ut dici non poſſet unum hominem per unam formam juſtificari, & alium per aliam diverſæ rationis: quia forma juſtificationis debet eſſe una, & eadem in omnibus juſtis; quarè cùm parvuli juſtificentur per baptiſmum abſque ullo ſuo actu, & adulti accedentes ad Sacramentum pęnitentiæ cum ſola attritione, per ſolam gratiam habitualem, tanquam per formam juſtificentur; conſequens eſt, ut alii etiam juſti eadem gratia habituali juſtificentur, itaut in omnibus una, & eadem ſeù ejuſdem rationis ſit cauſa formalis noſtræ iuſtificationis; Quamvis ergò concedatur præcipuum Concilii intentum eo loco fuiſſe Chemnitii errorem refutare: hunc tamen quoque alium ſenſum intendit; neque enim novum eſt Concilia interdum in confutando uno errore, aliud interdum dogma ſtatuere.

Confirmatur, quia ſi tam actus contritionis, quam gratia habitualis ſunt formæ iuſtificationis noſtræ; vel utraque eſt cauſa totalis, & hoc non, tùm quia altera ſuperflueret, tùm quia iam non eſſet unica cauſa formalis noſtræ iuſtificationis; vel utraque eſt cauſa partialis unicam totalem, & adæquatam conſtituens: & neque hoc dici poteſt, quia quando ſunt duæ cauſæ partiales eiuſdem effectus, altera ſine altera non ſufficit ad productionem illius effectus, ut patet de duobus aliquod pondus portantibus, quod neuter ſeorſim portare poteſt; at gratia habitualis ſine actu contritionis ſufficit ad delendum peccatum, & conſtituendum hominem iuſtum, ut patet in parvulis, & adultis medio Sacramentum iuſtificatis cum ſola attritione; ergò gratia habitualis non eſt cauſa partialis, ſed totalis noſtræ iuſtificationis, etiamſi ſit coniuncta cum actu contritionis, vel dilectionis Dei.

Rurſus eodem *c. 7. & can. 3. & ſeſſ. 14. c. 4.* contritionem perfe- 223
ctam appellat diſpoſitionem ad iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum; nulla autem forma ad ſuum effectum formalem diſpoſitio eſſe poteſt, cum enim inter formam, & diſpoſitionem realis cauſalitas intercedat, debet conſequenter intercedere realis diſtinctio; Ubi planè non loquitur tantùm de diſpoſitione non ultima, & imperfecta, & de juſtificatione, quæ confertur in Sacramento, ut Turrianus, & Meracius cum Vaſquez interpretari conantur; ſed univerſaliter loquitur etiam de ultima diſpoſitione, & iuſtificatione extrà Sacramentum contingente. Quod evidenter deducitur ex progreſſu *c. 6. & 7.* etenim *c. 6.* omnes actus pęnitentis deſcribens, qui ex auxilio gratiæ procedentes ipſum ad iuſtificationem diſponunt, poſtremo loco contritionem numerat, tanquam proximam diſpoſitionem ad illam; & ſtatim ſequenti *c. 7.* hanc ipſam dilectionem, & deteſtationem peccatorum una cum reliquis peccatoris actibus ſupra deſcriptis vocat proximam, & ultimam diſpoſitionem ad ipſam iuſtificationem, cùm inquit *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur* non ſequitur autem forma ad remotam, ſed tantùm ad proximam, & immediatam diſpoſitionem.

Confirmatur, quia *ſeſſ. 14. c. 4* poſtquam definivit contritionem, eamque dixit quovis tempore fuiſſe neceſſariam ad impetrandam peccatorum veniam, quæ verba rurſus clariſſimè indicant non ipſam contritionem peccata delere, ſed tantùm per modum diſpoſitionis concurrere, cujus intuitu Deus gratiam conferat; eam poſteà dividit in imperfectā, & perfectam; Tùm quia nec de ſola attritione, nec de ſola contritione perfecta verificari poteſt, quod ait Concilium, contritionis motum quovis tempore neceſſarium fuiſſe ad peccatorum veniam impetrandam; ergò dicendum eſt eſſe locutum de contritione abſolutè, & in communi; ut ſic in ſpeciali intelligatur, contritionem imperfectam eſſe neceſſariam cum Sacramento, contritionem verò perfectam extrà Sacramentum, ut hic notavit Averſa cum Suarez.

Deindè, quod locis citatis non tantùm loquatur Conci- 224
lium de iuſtificatione, quæ fit cum Sacramento, ſed de contingente etiam extrà Sacramentum ex eo deducitur, quod *c.* 4. expreſsè docuerat iuſtificationem impii fieri non poſſe ſine Baptiſmo, aut eius voto, quo loquendi modo utrumque iuſtificationis modum complectitur; ergò cùm deinceps tractat de præparatione ad iuſtificationem, loquitur univerſaliter tam de iuſtificatione, quæ fit in Sacramento, vel extrà Sacramentum cum eius voto, ut conſtat ex ipſis titulis eorum *cap. 6. & 7.*